

in ratione materiæ, neque in ratione compartis, quia remanet in illo casu sub eadem forma substantiali, quam antea habebat, vnde verissimum est, quod compositum in alteratione neque amittat nomen, neque definitionem, benè ramen in generatione, sive enim partes fiat albus, sive niger, partes remanebit semper partes.

*Ad decimam nonam die substantiam aliam esse Physicam, aliam Metaphysicam: substantia quidem Physica, in quantum est talis, est tantummodo talis, id est si sit potentia Physica, non erit actus Physicus, & cum materia prima sit potentia Physica, non erit actus Physicus, nec quid actuale Physicum, attamen in quantum est substantia Metaphysica, id est ens per se, non verò ens in alio, dicitur actus, seu quid actuale, sicut enim dantur prædicamenta Logica, Physica, & Metaphysica, ita substantia erit considerationis Logica, Physica, & Metaphysica.*

*Ad ultimam* dices illam definitionem materia prima esse negatiuam, definitiones autem negatiuæ dantur etiam de actu purissimo, scilicet de Deo, dicitur enim, quod Deus neque sit corpus, neque Angelus, &c. solemne autem est Aristoteli res abstrusa pluribus explicare definitionibus, quod & præstiterit in præsenti, primò enim definitur materiam positivè, dicendo esse primum subiectum rerum naturalium, &c. deinde negatiuè, quod neque est quale, neq; quantum, &c.

### RESPONSO

*Ad rationes in subdivisione primi Cleyperi positas propriam existentiam materia prima dene-*  
gantes.

*Num 16.*  
*Solumnatur rationes impugnantes existentiam propriæ materiae.*  
*Ad primam.*

**A**d rationes, quibus Thomistæ propriam denegant existentiam materiæ primæ, sic respondebis.

*Ad primam* signifikat respondent Thomistæ negando maiorem primi argumenti, eiùmque confirmationem, ad eius verò probationem, que est: effectus formalis non potest separari à forma, concedent, minorem verò, quæ est, sed existere est effectus formalis forma, negabunt; & ad id, quod additur, forma est quod dat esse rei, quod dat specificum, concedo, quod dat esse existentiale, nego, & ad instantiam hanc: actus primus, cuius est dare esse, idem est ac forma, actus primus Physicus concedo, actus primus entitativus, aut existentialis nego.

Ex qua etiam distinctione de duplice actu respondetur ad illam contradictionem dicendo, quod materia absque forma esset quidem in actu entitativi, & existentiali, non verò in actu Physico, & determinata specie, quæ duo de materia verificari non repugnat esse in actu, & non in actu, cùm id fiat diuerso respectu, & secundum diuersa.

Vrgit autem Soncinas pro Thomistis, quod illa responsio sit contra Commentatorem, ex illa enim contradictione Commentator infert materiam non posse esse sine forma, aut ergo rejecti Comenti, aut danda alia solutio.

Responde pro Thomistis explicando Com.

mentatore, vult enim inferre solum, quod si materia esset sine forma, tunc non esset in actu completo, quia ex materia, & forma sit actus completus; & quod esset in actu completo, quia per se existaret, hoc est se sola, quod est solum proprium entium completorum, sed partes, & res incompleta, cuiusmodi est materia prima, non possunt se solis existere naturaliter, benè tamen supernaturaliter, idem ferè sonare videtur verba Commentatoris, ac si diceret, si materia prima esset sine forma, materia videatur esse ens, seu actus completus.

*Ad secundam* respondent Scotisti non esse plures existentias partiales, & imperfectas, bene tamen plures perfectas, & cum dicitur, quod materia habeat peculiarem existentiam, & forma peculiarem, intellige tales existentias esse imperfectas, sicut & materia, & forma sunt quid imperfectum; ex illis verò duabus partialibus coalescit una totalis existentia, quæ dicitur existentia composta.

*Ad tertiam* respondetur concedendo materia, & negando minorem primi argumenti, & ad minorem eius probationis, & ad reliquum totius argumenti dicitur, quod materia prima sit reductiū in genere substantiæ, & sub specie subalterna corporis; ad id verò, quod additur, nempe quod est in aliqua certa specie, hoc habet per formam, Responde hoc habere per formam, vel per ordinem ad formam, vnde esto materia esset sine omni forma, diceret tamen ordinem transcendentalē ad formas corporeas, ratione cuius ordinis reponeretur in specie corporis.

Quod si instes: Materia, qua informatur anima rationali, non dicit ordinem ad formam corpoream, sed spiritalem. Respondent aliqui etiam animam rationalem dare esse corporeum ipsi materia hominis, sicut & dat alios gradus, scilicet vegetativum, & sensitivum.

Respondent alij aliter ad totum argumentum dicendo, quod licet materia prima sit de se in differendis ad componendas plures species totales, ut animal, hominem, &c. de se tamen sit determinata species incompleta, & partialis habens suam differentiam specificam, nempe rationem primi principii substantialis, per quam differt ab omnibus alijs rebus, & reductiū ponitur in prædicamentis substantiæ in illa parte, in qua ponitur totum compositum completum substantiali, quod est dicere materiam Physicæ loquendo non habere determinatam aliquam speciem, benè tamen Metaphysicæ ex eo quod constat generi, & differentiæ: Generi quidem, quod sit substantia: Differentiæ verò, quod scilicet habeat rationem principij primi substantialis.

*Ad quartam* respondetur negando ex eo, quod habet peculiarem existentiam, sequi ipsam posse naturaliter existere sine forma, & hoc propter eius minimam entitatem: deinde quia habet naturalem ordinem ad formam, transcendentalē tamen, sicut perfectibile ad suam perfectiū, tum etiam quia nulla unquam forma corruptitur, quia statim succedit alia. Ad Arist. verò dic ipsum intelligi de materia in actu Physico, seu determinata specie Physicæ constituta, hoc enim habet per formam, & non à se.

*Ad*

*Ad secundam.*

*Ad tertiam.*

*Ad quartam.*